



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 131. Quid addendum sit circa vacationem per obitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

vacatio ejusdem beneficii, sed prima impedit sequentem, Cap. *susceptum*, de Rescript. in 6. *Gonz. Lott. Leur. q. 18.* Vacatio autem non consumitur seu non finitur per provisionem de jure nullam aut non acceptatam, nec per commendationem beneficii, at tamen consumitur per provisionem legitimam acceptatam, etiam sine possessione; uti & per signaturam & registraturam supplicæ jam extraditæ & acceptatæ, licet necdum expeditis litteris, dummodo fuerit rescriptum in forma *gratiosa*. Item consumitur, imò in perpetuum tollitur per unionem ad alterum beneficium factam in perpetuum, *Tond. Gonz. Lott. Leur. q. 19. & q. 22. n. 2.* Specialiter autem statuitur Extrav. *Injuncta*, de Elect. inter communes, ut vacatio Sedis Episcopalis vel Abbatialis non censeatur finiri, nisi litteræ confirmationis aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ Capitulo, *Rebuff. Gonz. Leur. q. 20.*

891 §. VII. Si verba foundationis sic habeant, *quando contigerit possessorem mori, substituatur, qui has qualitates habeat*, per Tò mori, debet intelligi quacumque vacatio beneficii, nam tantum ponitur mors, quia per hanc communis vacant beneficia, *Sanch. de Matr. l. 7. d. 8. n. 13. Leur. q. 27. n. 2.*

892 Q. 131. *Quid addendum sit circa vacationem per obitum. R. Seqq.*

§. I. Mors talem inducit vacationem, ut licet beneficiatus resurgeret, jus ei non rediret, quia mors omnia jura solvit, *Gonz. Barb. Castrop. Leur. p. 3. q. 26.*

893 §. II. Per mortem hic intelligitur naturalis, hoc enim nomine simpliciter non venit mors civilis, nisi in casibus à jure expressis, *Fagn. Laym. Luca. Leur. n. 3.* Dicitur autem naturalis, prout opponitur civili, hinc sub ea venit etiam violenta ab extrinseco illata, *Bald. Lott. Leur. n. 4.*

§. III.

§. III. Si possessor litigans moriatur, beneficium 894
 censetur vacare per mortem, quia possessor præsumitur dominus, *Clement. I. Ut lite pendente, L. 2. Cod. de probationibus, Simon. Gonz. Leuv. q. 28.* E contra si quis jure vel sententiâ privatus moriatur ante dimissam possessionem, non vacat morte, sed per aliam causam, ob quam privatus est, *Barb. Leuv. q. 30.*

§. IV. Si resignans moriatur intra 20. dies, videtur 895
 probabilius, quod beneficium vacet per obitum, *Put. Rebuff. Tond. Paris. contra Luca & alios:* idem est, si moriatur ante admittam resignationem, aut si in favorem sit facta, ante acceptatam à tertio resignationem ejusque conditiones impletas, *Paris. Leuv. q. 33.* An & quomodo probanda sit mors aut tempus mortis, videri potest *Leuren. q. 34. & 35.* De potestate & jure Capituli Sede vacante, videri potest specialis tractatus apud *Leuv.* sub titulo, de Vicario Episcopi.

Q. 132. Quid notandum sit circa incompatibilitatem, & vacationem prioris beneficii propter aliud cum illo obtentum. R. Seqq. 896

§. I. Beneficia tum dicuntur incompatibilia, si ab uno simul haberi non possint: suntque incompatibilia, vel simpliciter, si unum ipso jure excludat alterum; vel secundum quid, si possint quidem haberi simul, sed non licite, ideoque possidens, si non dispensetur, possit per Superiorem privari, *Leuv. p. 3. q. 61.*

§. II. Nisi excusent justæ causæ vel circumstantiæ, est contra jus naturæ & indispensabile, ut quis 897
 plura simul beneficia habeat, *S. Thom. Caj. Host. Ansb. Silv. Arm. Tab. Vasq. Sanctb. T. Hurt. Less. P. Marchant. Diana p. 10. t. 13. R. 1. Leuv. q. 62.* & Theologi ferè omnes. Patet, quia inordinatum est